

resident. in 6. Sacra Congr. Concil. sub die 31. Januarii 1603. Rota part. 1. dec. 61. num. 7. et Annotat. ad dec. 576. n. 125 et 178. et sequent. part. 4. tom. 3. (37. Absens pro defensione jurium ipsius Ecclesiæ vel sui Beneficii lucratur fructus, et distributiones quotidianas; Rota in Astensi Fructuum, et distributionum 15 Martii 1615, coram Manzanedo, et in Calaguritana Fructuum, et distributionum 26 Martii 1614, coram Ubaldo, et sic decrevisse Sacram Congr. Conc. refert Garcias in addit. ad tractat. de benefic. part. 3, cap. 2, num. 49 et iterum sic decrevit ead. Sac. Congr. Conc. in Laurentana 16 Julii 1695. (38. Canonicus Procurator Capituli, et pro negotiis Capituli assistens, tamquam præsens reputandus est, et habere debet distributiones quotidianas; Sac. Rit. Congr. in Saonensi 21 Aug. 1604. (39. Distributiones quotidianas lucratur Canonicus a Choro absens occasione servitii Curæ ejus Canonicatui annexæ, tamquam si esset præsens, ex Concil. Tridentin. sess. 22, cap. 3, ideoque Episcopus Curam animarum eidem Canonico auferre, et Mansionario sibi, ejusque successoribus benevisio conferre non debet; Sac. Congr. Episcop. et Reg. in Laudens. 24 Novembris 1617. (40. Distributiones quotidianas lucratur Canonicus, qui accedit Romam pro servitio Episcopi, qui venit ad visitanda limina Apostolorum, etiam quod dictus Canonicus veniat post Episcopum, non autem simul; Sac. Congr. Concil. die 9 Sept. 1623. (41. Sic etiam distributiones lucratur Canonicus missi ab ipsorum Episcopis ad limina Apostolorum eorum nomine. Sic decisum fuisse a sacra Congr. Concil. refert Garcias de benefic. part. 3, cap. 2, num. 438, et Barbosa Collectan. Apostolic. dec. verb. *Distributiones quotidiana* n. 11. (42. Canonico autem in Urbe commorante, si deputetur ab Episcopo suo ad visitandum limina, debentur ei distributiones unius mensis; Sacra Congr. in Vigilien. 6 Jan. 1682. (43. Si vero Episcopum ad visitandum limina comitasset, tunc distributiones debentur pro toto tempore accessus, mansionis, et recessus; Ead. Sac. Congr. Conc. in Comen. 28 Augusti 1688. Quoad tempus ead. Congregatio Concil. constituit esse trium mensium in una Vasionen. 17 Aprilis 1627. (44. Distributiones quotidianas lucratur Canonicus inservientes Episcopo pontificaliter celebranti in Civitate, vel in suburbiis, non autem in alio loco, vel comitantes in Visitatione; Sacra Congr. Concil. sub die 7 Maii 1600. (45. Distributiones debentur Canonico proviso ab Ordinario Cardinale vigore Indulti pro tempore, quo Ecclesiæ inservivit, et possessionem habuit vigore hujus provisionem, etiamsi fuerit postea coactus capere novam possessionem Apostolicam, et primæ renuntiare, ex eo quod detectum fuit primam provisionem fuisse invalidam, quia Beneficium erat de jure patronatus Sedis Apostolicæ, et ejus provisio spectabat ad Papam. Sacra Congregat. Concilii in Ferrariensi 21 Aug. 1627. (46. Archidiaconus, vel Canonicus visitans

Ecclesiam, jura, vel redditus suæ præbendæ, non amittit distributiones quotidianas, cum visitando prædicta jura, et loca, serviat Ecclesiæ in re utili. Si vero non visitaret propriam Ecclesiam suæ Diocesis, etiamsi illam visitaret ex officio, et jure sibi competenti, tunc non potest percipere distributiones quotidianas, ut referunt decisum Moneta de Distributionibus q. 11, n. 68. Garcias de benefic. part. 3, cap. 2, num. 332. Barbosa de Canonicis, et dignitatibus, cap. 24, num. 4, et de offic. et potest. Episc. part. 3, allegat. 53, num. 126. (47. Canonicus Pœnitentiarius, si dum recitantur divina officia, audiat in Ecclesia Confessiones, percipit quotidianas distributiones, ac si præsens esset in Choro Concil. Trident. sess. 24, cap. 8. Sac. Congr. Concil. in Theatina 18 Aprilis 1643; et sic decisum fuisse referunt Aloysius Riccius in praxi for. Eccles. decis. 498, in prima editione, Moneta de Distributionibus quotidianis part. 2, qu. 11, num. 64 cum sequentibus; Barbosa lib. 3. Juris Eccles. univers. cap. 18, num. 42, et de offic. et potest. Episc. part. 3, allegat. 53, num. 30. Fagnan. loco cit. num. 170. (48. Etiamsi audiat Confessiones venialium peccatorum, et non reservatorum, ex responsione Sacræ Congregationis teste Fagn. loco cit. n. 170. (49. Pœnitentiarius non solum censetur præsens in Choro, dum actualiter Confessiones audit, ad lucrandas distributiones quotidianas, sed etiam elemosynas ipsas, quæ distribuuntur pro associandis et sepeliendis cadaveribus Defunctorum, vel pro supplicationibus, et processionibus, quæ per Urbem aguntur. Ita decisum fuisse refert Garcias in addit. ad partem 5. cap. 4, n. 125, et Fagnan. loc. cit. num. 171. (50. Theologus, seu obtinens præbendam Theologalem diebus, quibus legit, habendus est tamquam præsens in Choro, non modo pro illis horis, ut si mane legat pro horis matutinis, et Missa solemniter, sed etiam pro tota die, et percipere potest distributiones quotidianas. Ita declarante Gregor. XIII. decisum referunt Naldus verb. *Distributiones* num. 9; Gonzal. ad Regul. 8. Cancel. § 7. proœm. n. 180. Monet. de distr. quotid. part. 2. quæst. 19, num. 27, et qu. 11, num. 75. Barbosa l. 3. Juris Eccles. univers. cap. 18, n. 43. Fagn. loc. cit. num. 116. (51. Canonici privilegiati super fructibus in absentia percipiendis, si redditus omnes in his distributionibus consistent, lucrantur de jure communi sine diminutione hujusmodi distributiones, textu expresso in c. *Olim* 16 de verb. Significat. ibi: « Plene sicut uni ex aliis residentibus. » (52. At post Concil. Tridentinum quod in cap. 3, sess. 21, jubet converti tertiam partem fructuum in distributiones quotidianas, Canonici sic absentes percipere debent tantummodo duas tertias illorum partes, amissa alia tertia, quæ inservientibus accrescit; Fagnan. in c. *De cætero*, de Cleric. non resident. a num. 29 usque in fin. et in cap. *Licet*, de præbend. n. 126. et in c. *Olim*, de verb. Signif. a n. 36 usque ad 40. (53. Canonici, qui Papæ vel Cardinalibus inserviunt, cura

Indulto percipiendi distributiones pro diebus, et horis, quibus actualiter in servitio occupantur, gaudent distributionibus, et etiam fallentis absentium; Sac. Congr. in Romana punctatur. 27 Januar. 1691.

(54. Distributiones debentur Canonico pro tempore, quo sine salario Organum pulsat; Sac. Congr. Episc. in Nolana 23 Sept. 1639; in Triventina 22 Novembr. 1641.

(55. Juvat hic ad rem e penu Institut. Eccl. Benedicti XIV, sequentia utpote scitu valde digna, et in praxi servanda, depromere.

Concilium Tridentinum sess. 21, cap. 3, de Ref. mandat, ut separaretur e massa Capitalari tertia pars fructuum, quæ dividatur inter præsentis divinis officiis assistentes, ut supra traditum est sub n. 8. Addit vero idem Concilium, quod si dignitates, et personatus Ecclesiarum Parochialium, et collegiarum muneribus suis defuerint, amittant distributiones, quæ applicentur « Fabricæ Ecclesiæ vel alteri pio loco arbitrio Ordinarium. » Quod postremum intelligitur de dignitatibus redditus suos habentibus a mensa Capitalari discretis; nam illæ, quæ participant ex eadem mensa, distributiones amittunt, sed distributiones illæ accrescunt præsentibus. Institut. Eccl. 107, § 41.

(56. Vetat insuper Sacrum Concilium sess. 24, c. 12, de Reformat., ne Chorales secum invicem paciscantur, ne mulctentur absentes. Vetat etiam, ne gratis condonentur distributiones iis, qui non interfuerint, cui Decreto insistens S. Congregatio Concilii semper negavit valere istas condonationes; ibid. § 42.

(57. Hoc tamen non obstante, fas est Episcopo transgressores istos ulterius punire, ut sæpius respondit S. Congregatio; ib. § 44.

(58. Cæterum cum Sacrum Concilium exceptos judicet ab ea distributionum amissione illos, quos infirmitas, seu justa et rationalis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusat: hinc Sacra Congregatio censuit in eo rerum eventu absentes non tantum suas distributiones non amittere, sed lucrum augmentum, quod fit ex distributionibus absentium sine causa. Quin et si quis discedens a Civitate sanus proponens reditum ad Civitatem post legitimam vacationem, si interim ægritudine afficiatur, nec redire possit, adhuc distributiones lucratur, ac si præsens esset in Civitate, ut ex decreto S. Congr. ib. § 46.

(59. Verum non omnis ægritudo excusat, nec omnes semper; nam si quis cum sanitate valebat, interesse negligebat, tunc et si ægritudine gravetur, distributiones non obtinet, ut censuit S. Congr. ibid. § 47.

(60. Accidere tamen posset, ut quis non vetaretur quidem exire domo, sed ægritudine, qua afficitur, adesse Choro non permitteretur. Hinc cæcus distributionibus potitur, etiamsi eam officii partem, quam memoria tenet, in choro non recitet, ut censuit S. Congr. ib. § 48.

(61. Deberi cæco distributiones ex ea die, qua lumine captus est, et non solum ex ea, qua se admitti ut præsens postulavit, censuit Sac. Congr. ibid. § 49.

(62. Quin nec teneri illum substituere alium pro onere missarum in Collegiata, eadem S. Congregatio alio Decreto censet; ibid.

(63. Quando pestis grassatur (quod iudicium Episcopo remittitur) Canonici, qui se absentant ab Urbe vel oppido, distributiones lucratur, ut ex Decreto S. C. ibid. § 50.

(64. Nec privantur etiam, qui assueti alias interesse Choro vexationibus injustis coacti se e loco subducunt, ut ex Decreto Sac. Congr. ibid. § 51.

(65. Cujusmodi sunt etiam detenti injuste in carceribus, quæ injustitia tunc judicanda est ex sententia in ejus favorem lata, quæ in iudicatum transierit; nam si interposita sit appellatio, exitus ejus appellationis expectandus est; ex Decretis S. C. ut ibid. § 52.

(66. Sententia in favorem rei illa dicitur hic, qua reus ut innocens absolvitur per sententiam definitivam; sicut etiam qua *ex hactenus deductis* declaratur innocens; ac tandem ea, qua absolvitur cum clausula *non molestetur*; non vero ea, qua absolvitur cum *ex quo satis*; ibid. § 53.

(67. Ex evidenti Ecclesiæ utilitate absentem ad distributiones admittit Bonifacius VIII, in cap. *Unde Cleric. non resident.* in 6. Quare absens a Choro causa negotiorum Ecclesiæ suæ, vel Capituli, distributiones percipit, ut sæpe censuit S. C. ibidem, § 54.

(68. Itaque Canonicus Theologus qua die legit, potest non amissis distributionibus a Choro abesse, etsi vacare illi posset, ut censuit Sac. Congr. ibid. § 55.

(69. Hinc etiam Canonicus Pœnitentiarius, vel alius Canonicus ab Episcopo deputatus in ejus locum, dum actu audit confessiones, tuto abest a choro, et distributiones obtinet. Si vero abiit dum actu non audit confessiones, distributiones minime percipit; ibid.

(70. Qui habet curam animarum in ea Ecclesia, in qua est Canonicus, si toto eo tempore occupatur actu in exercitio eorum, quæ spectant ad curam animarum, distributiones quotidianas obtinet, ibid. § 56.

(71. Animadvertendum est, Canonicos non præsentibus, de quibus supra diximus, non privari distributionibus, non tamen participare de emolumentis Anniversariorum, quæ ex voluntate Fundatorum distribui consueverunt solum inter præsentibus, ut ex Decreto Sacræ Congr. ibid. § 62.

(72. Demum distributiones etiam quotidianas obtinent Canonici, et beneficiati, qui interdum infra annum intra domum Religiosam clausi exercitia spiritualia præstant cum licentia Episcopi; non tamen si in Adventu, Quadragesima, et Festis solemnibus id agunt; et ita agunt, ut servitio Chori nullum detrimentum inferatur. Ita ex Encyclica Clementis XI, ibid. § 63.

(73. Distributionibus etiam quotidianis non privantur Canonici, et Mansionarii emeriti, sive si Coadjutorem habeant; ib. Debet tamen indultum hoc obtinuisse a Sac. Congr. vi cujus nec loci residentia adstringuntur. Quamquam possunt ab Episcopo com-

PELLI ad assistendum Choro, si cultus divinus detrimentum patiat; ibid. § 64.

(74. Porro si Coadjutor sive intra Civitatem ægrotet, sive extra, non tenetur Coadjutor assistere Choro, et nihilo secius lucratur distributiones, quæ ipsi omnino debentur, etiam cum iis emolumentis quæ præsentibus accrescunt; ibidem § 65.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(75. Interest, et quidem ad plures effectus, distinguere Distributiones quotidianas a fructibus, quos vocant *Grossos*. Hæc autem statuta est Regula. Si redditus Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiæ, de qua agitur, dividuntur ratione Beneficii, nullo prorsus habito respectu ad servitium, sunt fructus *Grossi*; sin autem dividuntur non Beneficii, sed servitii ratione, et ut diei solet, per *punctos*, seu *punctaturas*, ita ut major, vel minor sit portio uniuscujusque, prout majus, vel minus fuerit præstitum ab ipso servitium, sunt Quotidianæ Distributiones. Ita ex text. in cap. unic. de Cleric. non resident. in 6, tradunt Scharzius in decretal. lib. 3, tit. 4, § 33, n. 33; Cardinal. Petr. in commentar. ad Constitut. Apostol. Constit. 9 Bonifacii VIII, n. 28; Cardinal. de Luca de Canon. discurs. 16, n. 6, et rursus in Adnot. ad Concil. Trident. discurs. 15, num. 8. Alter de Luca in Animadv. ad Gratian. discept. forens. cap. 166, n. 5. Rota in recent. dec. 35, n. 17, part. 10. Et in hac ipsa sententia fuit Sac. Congregatio Concilii interpres in Capuana Spolii 9 Julii 1735.

(76. Adeoque verum est, dictos redditus esse Distributiones Quotidianas, et non fructus *Grossos*, si divisio fiat ratione servitii, ut procedat etiam, si divisio non in singulos dies, sed in fine anni fiat; Rota in recent. d. dec. 135, num. 7, part. 10, cor. Achill. de Grass. dec. 12, fer. per tot. de Præbend. et cor. (77. Cæsar de Grass. dec. unic. n. 8, de Cleric. non resident. et cor. Seraph. dec. 1140, num. 2, tum etiam si proveniant non ex oblationibus anniversariis, aliisque incertis emolumentis, sed ex fructibus Prædiorum; Cardinal. Petr. in Comment. ad Constit. 9 Bonifacii VIII, num. 28; Cardinal. de Luca de canon. discurs. 16, n. 6, et in Adnot. ad Concil. Trident. discurs. 15, n. 8; Rota in recent. dict. dec. 135, n. 7, par. 10.

(78. Regulariter nomine fructuum Beneficii non veniunt Distributiones Quotidianæ, prout veniunt fructus *Grossi*. (79. Limitatur verò hæc Regula concurrente in aliquo casu voluntate Papæ, ut distributiones veniant nomine fructuum Beneficii, eaque vel expressa vel tacita, ut sit in materia quæ latam amittit interpretationem. (80. Cæterum seclusa voluntate Papæ, vel expressa, vel tacita, firma remanet Regula, minimeque distributiones quotidianæ veniunt nomine fructuum Beneficii, præsertim si materia strictam exigat interpretationem; Fagnan. in cap. 16, n. 6, de verb. Signific. Torr. de Pact. futur. succes. lib. 2, cap. 28, num. 60, et sequent. Add. ad decis. 576,

n. 57, et plur. sequent. par. 4, tom. 3. (81. Idque etiamsi Beneficia, de quibus agitur, careant præbendis, redditusque habeant solummodo consistentes in quotidianis distributionibus; Card. Petra in Comment. ad Constit. Apost. Constit. 9 Bonifacii VIII, n. 28. Rota in recent. dec. 135, n. 7, par. 10.

(82. Qua de ratione distributiones quotidianæ non solum non veniunt nomine fructuum Beneficii in Regulis Cancellariæ de valore fructuum exprimendo, ut monet Auctor, n. 7, sed nec in Regula IV. (83. Cancellariæ perpetuo reservante dignitatem Collegiæ, quæ sit principalis, tum redditus excedentes valorem decem florenorum auri de Camera; Cardinal. de Luca de Benefic. discurs. 106, n. 2, et seq. et rursus de Jurapatron. discurs. 69, n. 8. Rigant. in Comment. ad Regul. Cancell. Regul. IV, § 2, n. 9, ubi quod procedat, etiamsi omnes redditus consistent in solis distributionibus; Rot. cor. Haunitz. decis. 26, n. 6.

(84. Spolio, ut de alio diverso effectu quotidianarum distributionum disseramus, haud subjiciuntur distributiones quotidianæ, prout distribuuntur fructus *Grossi*; Marant. Respons. 24, fer. per tot. lib. 3; Ventriglia in prax. For. Eccles. tom. 3. adnot. 16, § 2. num. 21, et admisit Sac. Congregatio Concilii interpres in Capuana Spol. 9 Julii 1735.

(85. An autem quis possit ordinari ad titulum Beneficii, cujus redditus unice consistent in distributionibus quotidianis? Affirmant communiter Barbosa de Potest. Episcop. allegat. 19, num. 24; Marchin. de ordin. tract. 2, part. 6, cap. 6, differ. 5, n. 19; Campanilis in diversor. Jur. Canon. Rub. 8, cap. 5, n. 29; Boss. de Ordin. quoad tit. patr. § 17, n. 139.

ARTICULUS II.

Distributiones quotidianæ a quibus amittantur, seu non acquirantur.

(1. Distributiones non lucrantur Canonici sine legitima causa absentes, quamvis consuetudine sit introductum, ut distributiones absentibus debeantur. Talis enim consuetudo expresse reprobatur a Bonifacio VIII, in e. unic. de Cleric. non resident. in 6. ibi: *Consuetudinem... penitus improbantur*, et ob id sæpius respondit Sac. Congreg. decreto cap. 12, vers. *Distributiones* sess. 24, etiam immemorabilem consuetudinem fuisse sublatam, ut testatur Fagnan. in d. cap. *Licet*, n. 79. (2. Hinc distributiones quotidianæ non debentur Canonico inservienti Episcopo in officio Vicarii etiam pro illis horis, quibus ratione officii Vicariatus non intervenit Choro, etiamsi a tempore immemorabili observatum sit, ut debeantur; Sac. Congr. Conc. in Bitecten. 18 Dec. 1627. (3. Distributiones quotidianas non lucratur Canonici inserviens Episcopo in Missis privatis. Sac. Congregat. Concil. 17 Maii 1619.

(4. Item distributiones non lucrantur Canonici associantes Episcopum volentem quandoque audire Missam in Ecclesia non

Cathedrali Civitatis; Sic Sacra Congreg. Concil. teste Fagn. loc. cit. num. 107, et iterum in Arianen. 17 Maii 1704. (5. Canonici assistentes Episcopo non pontificaliter celebranti non lucrantur distributiones; Eadem Sac. Congregat. teste eod. Fagnan. loc. cit. num. 108. (6. Item non lucrantur distributiones Canonici inservientes Episcopo in Visitatione Diœcesis, aut in Monialibus velandis, aut in examine ordinandorum, et promovendorum ad Beneficia, vel qui Seminario præsent, aut in Congregationibus S. Officii adhibentur; Sic ead. Sac. Cong. ut refert idem ibid. n. 109. Quinimmo, ut ipsemet ibi subjungit, Archiepiscopo Januensi petenti, ut duo Canonici eum comitantes in visitatione Diœcesis possent percipere quotidianas distributiones juxta antiquam illius Ecclesiæ consuetudinem, censuit non concedendum.

(7. Insuper Episcopus Canonici, dum abest ex causa Visitationis suæ Diœcesis, distributiones quotidianas non lucratur; quia Littera d. cap. unic. de Cleric. non resident. in 6. ibi: *Evidens Ecclesiæ utilitas*, intelligitur de utilitate Ecclesiæ particularis, de cujus distributionibus agitur, non autem de utilitate alterius Ecclesiæ particularis, vel Ecclesiæ generalis, ut formaliter inquit Joan. And. in d. c. unic. de Cleric. non resident. in 6, num. 3, vers. *Item intelligendum*: ubi pro hoc allegat cap. *Cum Dilectus*, et cap. *De cætero*, eod. tit. et c. *Licet*, de præbend. et sequitur ibi Petr. de Anchar. n. 4, in 5 notab. et Fagnan. in d. cap. *Licet* num. 160, ubi dicit quod hæc est ratio, cur distributiones non debeantur Canonici existentibus in servitio Papæ, ut est casus in c. *Cum Dilectus* 14, de Cler. non resident. juncta Glossa omnium consensu approbata ibid. in verb. *Fructus*, licet censeantur servire Ecclesiæ universali, ut ibidem dicitur: « Qui circa nos se obsequiales exhibent universis. »

(8. Distributiones quotidianas non lucratur in absentia Canonici Collegiæ Ecclesiæ, dum servit Episcopo Cardinali pro Caudataro; Sac. Cong. Concil. in Viterbien. 12 Apr. 1617. (9. Neque distributiones quotidianæ debentur Canonico Cubiculario ad Bussulam Sanctissimi, et propterea absentia a residentia; Sac. Congr. Conc. in Reatina 13 Nov. 1627. (10. Familiares enim Papæ, qui non obstante Constitutione contraria præbendarum suarum fructus percipiunt in absentia, non percipiunt tamen distributiones quotidianas, ut est casus in d. cap. *Cum dilectus* 14, de Cleric. non resid. juncta Glossa communiter approbata ib. verb. *Fructus*, ut observat, et tenet Fagn. loc. cit. num. 99. (11. Distributiones quotidianæ non debentur Canonico in publica Universitate docenti, si in Choro non intersit, quamvis omnes redditus in distributionibus quotidianis consistant, Sacra. Congreg. Conc. in Limana 18 Decembr. 1627. (12. Distributiones quotidianæ non debentur Canonico infirmo, vel alias legitime impedito, quando habet coadjutorem; sed si Coadjutor non

resideat, punctatur tamen ad damnum ipsius Coadjutoris; S. C. Rit. in Colim. 16 Septembr. 1616, et in Patavina 8 Maii 1618, et in Granatensi 4 Apr. 1620. (13. Distributiones non debentur Canonico inquisito, et postea absoluto, si hic haberet Coadjutorem, qui eum de tempore carcerationis, seu contumaciæ Coadjuti inservire debuisset, non inservit; Sac. Congreg. Conc. in Brixiensi 2 Jun. 1696, in qua licet Coadjutor reperiretur absens causa studii, adhuc talis excusatio non fuit admissa, quia hic tenetur inservire durantibus Coadjuti impedimentis, cum Coadjutoria cum futura successione dentur in præmium servitii, et ideo fuit rescriptum: « Distributiones non debentur Canonico Nigrono, reservatis juribus contra Coadjutorem prout de jure. » (14. Distributiones quotidianæ non debentur Canonico qui fuit Romæ pro negotiis Capituli contra Episcopum; Sac. Cong. Conc. in Avellina 16 April. 1633. (15. Canonici, qui sunt Officiales Tribunalis Inquisitionis, non lucrantur in absentia distributiones quotidianas absque speciali Sedis Apostolicæ Indulto; Sac. Congregat. Concil. in una Mediolanensi 3 Februar. 1635.

(16. Immo neque lucrantur distributiones Canonici ipsi, qui funguntur munere Inquisitoris contra hæreticam pravitatem. Sicuti neque Examinatores Synodales, dum similiter suo munere funguntur; uti neque Canonici, qui voluntarie, non autem ex officio sese Confessionibus audiendis exponunt, ut nuper respondit Sac. Congr. Concil. in Romana Servitii Chori 23 Septembr. 1690; absentes enim his tribus casibus a servitio Chori ex Sententia Sacræ Congregationis distributiones non lucrantur, etiamsi adsit contraria consuetudo in Synodo Diœcesana confirmata; sic refert, et tenet Fagnan. loco cit. n. 104. (17. Distributiones quotidianas non lucrantur Canonici celebrantes, dum Divina officia recitantur, nisi ad celebrandum compulsi, aut jussi fuerint ab eo, ad quem pertinet; Sac. Congregat. Concil. in Callien. 29 Jul. 1628, in Oriolensi 27 Martii ad responsor. ad 11.

(18. Canonici absentes studiorum causa non lucrantur distributiones quotidianas, textu expresso in cap. *Licet* 32, de præbend. ibi: « Licet vobis direxerimus scripta nostra, ut Magistro N. Eborac. Archidiacono in sacra pagina cupienti studere proventus suos Ecclesiasticos faceretis integre ministrari; Nolumus tamen, ut quotidianas distributiones, quæ tantum residentibus in Ecclesiis, et his qui intersunt horis Canonici, exhibentur, ei tribui faciatis » (19. Hoc tamen ex sententia Sacræ Congregationis locum habet, si Canonicatus habeant fructus a distributionibus distinctos. Secus vero, si redditus omnes in distributionibus consistant, quia tunc studiorum causa absentes lucrantur duas tertias partes illarum, amissa alia tertia, quæ inservientibus accrescit. Idque declaravit habere locum tam in docentibus, quam in studentibus: sic refert, et tenet Fagnan. loco c. n. 97.